

4^o Theol. 1291^a

Oetenier

W

416 224 242 600 11



4^o Theol 1291^a Octenior

Theol 1291

THESESEX UNIVERSA THEO. LOGIA MARIANO-SCOTISTICA.

Ex Libro I. Sententiarum.

4^o Theol 1291^a



Univ.-Bibl.
München



I. Existens Dei non demonstratur quasi à priori; 2. Nequit tamen diu ignorari ab homine rationis compote. 3. Prædicatum pri- mariò constitutivum & distinctivum Essentia Divinæ est Aseitas. 4. Inter prædicata essentialia Dei nulla datur distinctio à parte rei; 5. Modi tamen & Attributa distinguuntur à parte rei non reali- ter à Essentia Divina.

II. Æternitas Dei non est formaliter à parte rei ipsa Ejus existentia. 2. Creaturæ ab æterno verè realiter non cœsistunt æternitati Dei. 3. Deus est formaliter præ- sens omnibus rebus per imensitatem tanquam modum intrinsecum, & per termina- tionem præsentia cœsistens creaturæ; 4. Non verò per suam operationem virtualiter transeuntem, 5. Cum omnimoda Dei immutabilitate cohæret adhuc Ejus libertas, quam exercet ad extra.

III. Objectum intellectus Divini primarium tam terminativum quām motivum cognoscendi omnia, est sola Essentia Divina; 2. Secundarium autem & terminati- vum sunt omnia alia intelligibilia. 3. Per scientiam simplicis intelligentiæ cognos- cit Deus omnia possibilia in se ipso, seu in sua Essentia tanquā in medio cognito: 4. Unde cognoscit quidem creature possibles in se ipsis, seu secundūm omnes earum proprias & formales rationes; 5. Non tamen immediatè in se ipsis ceu objectum formale & motivum.

IV. Per scientiam visionis cognoscit Deus infallibiliter omnia contingentia abso- lute futura, etiam actus nostros liberos, salva eorum libertate: 2. Et hos quidem non in Decreto physice prædeterminante, 3. Neque in se ipsis post Decretum, quod præsupponeret scientiam medium; 4. Sed mediante Decreto concomitante, ita ut hōc præsuppositō cognoscat eos in Essentia Divina tanquam in objecto motivo. 5. In se ipsis autem tanquam objectum terminativum.

V. Deus insuper infallibiliter cognoscit omnia contingentia conditionatè futura nobis libera; 2. Non quidem per scientiam medium directam, 3. Nec per Decretum prædeterminans; 4. Sed mediante Decreto concomitante subjectivè absoluto, objectivè conditionato. 5. Videt quoque, quid Ipse sub qualibet hypothesi esset facturus; 6. Sed non per scientiam medium reflexam.

VI. Vult Deus omnes homines salvos fieri voluntate antecedente effectivè effi- caci. 2. Prædestination absolute formalis, & ordinaria adulorum ad gloriam, facta est post merita absolute prævisa; 3. Sicuti etiam reprobatio post absolute præscita demerita,

VII.

VII. Actus Dei contingenter liber ad extra non completur per relationē rationis ad objectum creatum, 2. Nec per denominationem extrinsecam ex creaturis in tempore existentibus desumptam, 3. Neque per terminationem Deo defactō intrinsecam, quæ potuisset antecedenter non esse in Deo : 4. Sed est actus volitionis, quo Deus se ipsum diligit necessariō, & liberē tendit in objecta creatā, ea in obliquo connotans.

VIII. Potest Deus intuitivē videri per intellectum creatum, qui defactō in Beatis elevatur per lumen gloriæ, 2. Quocum intellectus effectivē concurrit : 3. Proin duo intellectus in perfectione naturali inæquales cum æquali lumine gloriæ inæqualem visionem beatificam eliciunt. 4. Essentia Divina videri potest non visis Attributis & Personalitatibus. 5. Beatitudo formalis consistit in complexo ex visione & amore fruitivo.

IX. Personæ Divinæ in esse personali constituuntur per proprietates relativas quā tales, 2. Quæ distinguuntur à parte rei non realiter ab Essentia Divina : 3. Non dicunt perfectionem simpliciter simplicem, nec formaliter infinitam. 4. Spiritus S. procedit quidem tam à Patre, quam à Filio tanquam ab unico principio immediato ; 5. Si tamen per impossibile non procederet à Filio, adhuc ab Illo distinguueretur realiter.

X. Habitus Virtutum Theologicarum sunt quoad substantiam supernaturales, & per se infusi : 2. Præter hos nullus alias virtutis habitus homini infunditur in justificatione. 3. Objectum formale veræ Fidei est Veraitas Dei loquentis ; 4. Revelatio autem & obscuritas revelatorum concurrunt solum ut conditions.

XI. Actus Fidei Divinæ est supernaturalis quoad modum, non quoad substantiam. 2. Est compatibilis cum evidentiā de revelante Deo : 3. Requiritur ad eum judicium moraliter certum de credibilitate Mysterii ; 4. Sufficit tamen per se certitudo credibilitatis respectiva & imperfecta. 5. De fide est, Benedictum XIV. esse verum Christi in terris Vicarium.

XII. Potest Deus, de potentia absoluta, damnationem revelare non tantum peccatori ob demerita ejus præterita ; 2. Sed etiam justo ob futura ipsius peccata : 3. Uterque, si certò conscius esset hujus revelationis, nec deberet, nec posset amplius sperare suam salutem. 4. Actus Charitatis in via & Patria specie inter se distinguuntur.

Ex Libro II, Sententiarum.

XIII. Intellectus angelicus ex se potest naturaliter cognoscere secreta cordium, 2. Nec non effectus in substantia supernaturales, pertinentes ad Mysteria gratiæ, aetū existentes, finitos, & quoad se. 3. Angeli verè inter se loquuntur, non quidem per excitationem merè moralem, sed physicam. 4. Voluntas Angelorum non est ex natura sua inflexibilis; potest proin actum etiam cum plena deliberatione semel electum retractare. 5. Omnes Angeli in primo creationis suæ instanti acceperunt gratiam sanctificantem, 6. Ad quam se per proprios actus disposerunt, 7. In quo instanti aliás etiam peccare potuissent, & quæ potentia morali, quam physica.

XIV. Primum Angelorum peccatum non fuit superbia formalis & strictè dicta, sed Philautia, seu luxuria spiritualis circa propriam excellentiam. 2. In illa mora, quæ inter primum peccatum & damnationem eorum intercessit, potuissent salutarem agere pœnitentiam. 3. Dœmones verè quidem cruciantur ab igne infernali; 4. Sed intentionaliter, & per alligationem tam localem, quām objectivam.

XV. Gratia actualis interna consistit in actibus indeliberatis intellectus & voluntatis, à Deo speciali concursu productis : 2. Influit in actus salutares solum moraliter. 3. Gratia hæc ordinaria non tribuit moralem potentiam omnia peccata venialia vitandi per totam vitam. 4. Deus qmnibus hominibus adultis largitur gratiam sufficientem ad salutem : 5. Parvulis quoque sine Baptismo decedentibus de remedio salutis, quantum ex te est, sufficienti providit.

XVI. Gratia efficax non consistit in prædeterminatione physica, aut morali ; 2. Sed in auxilio supernaturali de se indifferente, dato in iis circumstantiis, in quibus Deus : (3. Non per scientiam medium, sed dependenter à Decreto concomitante) infallibiliter prævidet, voluntatem nostram gratiæ illi cooperaturam. 4. Senitus hujus axiomatis : facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam, est iste; facienti, quod est in se, non solum viribūs naturæ, sed gratiæ prævenientis liberū arbitrium, Deus non denegat ulteriores gratias, quibus ad justificationem & salutem proximè disponatur. 5. Gratia sanctificans intrinsecè non distinguitur ab habitu charitatis : 6. Effectus suos formales causat solum moraliter.

XVII. Ad meritum de condigno requiritur promissio Divina præmii. 2. Justi bonis operibüs merentur verè, & de condigno vitam æternam, 3. Et augmentum gratiæ sanctificantis. 4. Potest homo etiam primum gloriæ gradum de condigno mereri; 5. Prima tamen gratia actualis non cadit sub meritum, ne quidem de congruo.

XVIII. Voluntas ita est libera, ut non solum inter duo æqualiter bona, & æqualiter per intellectum proposita, possit pro libitu unum eligere, reliquo altero; 2. Verum & bonum minus præ majori, etiam ut tali per judicium practicum proposito. 3. Regula prima objectiva, actionum moralium directiva, est Lex Dei æterna. 4. Dari potest actus moralis in specie, & individuo indifferens, 5. Äquè per se, quām per accidens talis. 6. Actus externus superaddit actu interno novam, distinctam & sibi propriam a formalē bonitatem, vel malitiam.

XIX. In dubio melior est conditio possidentis, etiam extra materiam justitiae. 2. Quando agitur præcisè de licentia actionis, licitum est sequi sententiam verè probabilem, non solum in occurso sententiæ tutioris & äquè probabilis; 3. Sed insuper, si sententia opposita tutior sit simul probabilior, 4. Äque in materia juris Divini & naturalis, quām humani : 5. Debet tamen, & potest accedere dictamen practicum excludens omnem gravem formidinem de formalī inhonestate actu.

XX. Omais lex consistit formaliter in actu voluntatis. 2. Promulgatio publica legis humanæ non est de essentia illius. 3. Lex Pontificia universalis, stan-

tuens jus novum , & Romæ solū promulgata , regulariter obligat quoque extra Romani , 4. Etiam non exspectato lapsu duorum à publicatione mensum , 5. Omnis lex humana propriè talis obligat ad aliquid in conscientia.

XXI. Deus non modò nullatenus dispensare valet in jure naturæ strictè tali ; 2. Sed ne quidem , propriè loquendò , in Præceptis Decalogi secundæ Tabulæ . 3. Confuetudo rationabilis , ac legitimè præscripta , abrogare potest legem præexistentem tum Ecclesiasticam , tum civilem . 4. Ad talem consuetudinem requiriatur consensus legalis in Legislatore , & bona fides in subditis : 5. Quare nequit introduci per actus formaliter peccaminosos .

XXII. Peccatum actuale formaliter consistit in privatione rectitudinis ex lege debitæ . 2. Peccatum mortale & veniale differunt inter se specie theologica . 3. Peccatum mortale non est simpliciter infinitum in ratione offensæ . 4. Peccatum veniale conjunctum cum mortali in damnatis non punitur poenâ æterna sensus . 5. Idem judicium esto de peccato mortali in vita quoad culpam iam remisso .

XXIII. Differentia specifica peccatorū proximè desumitur per ordinem ad diversas specie rectitudines ex lege debitas , quibus peccata privant : 2. Diversa autem hæc rectitudo colligitur ex diversis formaliter legibus . 3. Actus malus physicè unus si- ve in- sive externus , tendens in plura objecta totalia & disparata numerò distincta , est moraliter multiplex peccatum . 4. Idem à fortiori dicendum , si actus ille sit physicè multiplex ; tametsi continuatim & in eodem impetu fiat .

XXIV. Peccatum habituale consistit formaliter in reatu culpæ , seu , quod idem est , in obligatione passiva ad poenam ut proximè contracta ex actu peccaminoso . 2. Etiam peccatum originale formaliter consistit in reatu . 3. Virginis Deiparæ Conceptio ab originalis peccati labo fuit omnino immunis ; 4. Idque certum est certitudine saltem morali . 5. MARIA neque proximum , neque remotum peccati originalis debitum unquam contraxit .

Ex Libro III. Sententiærum.

XXV. Incarnatio non fuit simpliciter necessaria , 2. Etiam ex suppositione Decreti hominem lapsum reparandi satisfactione condigna ; 3. Potuisset enim , absolutè loquendò , purus homo de condigno satisfacere . 4. Unio hypostatica est relatio extrinsecus adveniens ; 5. Unitamen extrema verè substantialiter . 6. Eam non præcessit ex parte naturæ humanæ dispositio , quæ esset gratia habitualis . 7. Terminus illius ultimus est Deus homo in unitate Personæ ; 8. Terminus autem immediatus est sola Personalitas Verbi . 9. Extremum assumptum est tota humanitas sine propria quidem personalitate ; 10. Non tamen sine propria sua existentia .

XXVI. Nulla creatura fuit , aut esse potuit causa efficiens physica Incarnationis . 2. Neque B. Virgo elevata fuit , aut elevati potuit à Deo tanquam instrumentum physicum ad attingendam immediate unionem hyp. 3. Igitur hujus causa efficiens physica fuit sola & tota SS. Trinitas . 4. Actio incarnativa non est formaliter ipsa productio humanitatis , 5. Aut creatio animæ Christi .

XXVII. Principale motivum Incarnationis erat ipsa excellentia hujus Mysterii :
1. Proin & si Adam non peccasset, Christus adhuc venisset, 3. Et quidem vi præsentis Decreti formaliter spectati, & non tantum arguitivè. 4. Christus quæ Redemptor venit in carne passibili principaliter ad delendum peccatum originale.

XXVIII. Causa efficiens moralis seu meritoria Incarnationis quoad substantiam spectatae, nec Christus, nec B. Virgo, nec antiqui Patres fuerunt ; 2. Immò in moderna Providentia nec potuerunt esse, 3. Etiam si Incarnationem spectemus secundùm executionem, 4. Et merita consideremus ut subsequentia & prævisa ; 5. Meruit tamen Christus quasdam circumstantias, 6. Etiam Maternitatem B. Virginis 7. Quamvis & ipsamet Virgina Mater eam sibi de congruo meruerit ; 8. Patres quoque meruerunt aliquas circumstantias,

XXIX. Intellectus animæ Christi adhuc viatoris habuit scintiam beatam ; 2. Quæ extendebat se ad omnia objecta tum actualia, tum possibilia ; 3. Non quidem ad omnia actualiter, sed quasi habitualiter. 4. Habuit insuper scientiam infusam abstractivam, 5. Et comparavit sibi scientiam quoque experimentalem.

XXX. Voluntas humana Christi fuit in omnibus Divinæ Voluntati conformis : 2. Habuit libertatem indifferentiæ, saltem physicam, ad eligendum actum minus perfectum omnissimè perfectioni ; 3. Erat ligata propriè dictis præceptis, specialiter præcepto moriendi ; 4. Fuit nihilominus libera ad eorum impletionem : 5. Impeccabilitas igitur Christi non erat ab intrinseco & absolute talis, 6. Neque immediate descendebat ex unione hyp. vel Personalitate Verbi. 7. Sed proxima & immediate causa exigitiva impeccabilitatis fuit ipsa beatitudo Christi.

XXXI. Gratia Christi habitualis non fuit infinitè intensa : 2. Hæc sola tribuit animæ Christi formalem sanctitatem ; 3. Ut proin nec Sanctitas Verbi, 4. Nec unio hyp. fuerit formalis ratio sanctificandi humanitatem Salvatoris. 5. Merita & opera Christi satisfactoria non erant intensivè vel simpliciter infinita, 6. Ne quidem in ratione valoris. 7. Et quamvis satisfactio non tantum condigna, sed etiam superabundans fuerit ; 8. Non tamen erat ex toto rigore justitiæ.

XXXII. Deus habet jus proprietatis in omnes creaturas : 2. Vi illius potest obligare homines ad quascunque actiones ipsis possibles ; 3. Quæ tamen actiones non essent in omni rigore actus justitiæ commutativæ : 4. Igitur eatenus non datur in homine erga Deum justitia rigorosè commutativa : 5. Sed neque Deus obligari potest creature ex justitia comutativa strictè dicta.

XXXIII. Clerici sæculares beneficiarii habent plenum Dominium bonorum beneficiorum superflorum ; 2. Obligantur tamen sub gravi, ea non expendere in usus profanos : 3. Hæc ipsa autem obligatio solum descendit ex lege positiva Ecclesiæ. 4. Religiosi in communi (exceptis Capucinis, & FF. Minoribus de observantia) habent, vel habere possunt dominium bonorum temporalium tam immobilium, quam mobilium ; 5. Usus facti licitus est à jure proprietatis & dominio separabilis in rebus unico usu consumptibilibus : 6. Atque ita est separatus in Ordine FF. Minorum de observantia, etiam in communi spectatorum.

XXXIV.

XXXIV. Bona vacantia vel derelicta fiunt jure gentium invenientis, ac apprehendentis; 2. Iure tamen positivo bona vacantia à laicis non peregrinis relicta cedunt Fisco. 3. Thesaurus modis licitū in proprio fundo inventus, de jure communi totus est inventoris. 4. Venator contra legem Principis feram capiens, fit Dominus feræ, 5. Nec tenetur eam, vel pretium æquivalens restituere ante sententiam. 6. Bona incerta ex delicto erogari debent in pauperes: 7. Incerta autem si nè delicto, si Dominus post debitam inquisitionem ignoretur, possunt retineri.

XXXV. Praescriptio est legitimus modus acquirendi dominium, atque efficax etiam pro foro interno: 2. Ad eam tam continuandā, quām inchoandam requiritur bona fides; 3. Quam sicut dubium merè speculativum non vitiat in continuatione, ita eam non semper impedit in inchoatione præscriptionis. 4. Ad præscriptionem ordinariam non sufficit titulus præsumptus; 5. Non tamen requiritur semper coloratus, sed frequenter sufficit titulus existimatus.

XXXVI. Contractu turpi ex una parte impleto datur, saltem pro foro interno, obligatio ex justitia eum adimplendi ex altera parte, seu dandi promissam mercem, dummodo hæc sit res indifferens. 2. Contractus initus ex metu gravi injuslē incusso regulariter est validus, sed tamen rescindibilis. 3. Usus recipiendi quinque asuatum pro centum, juxta consuetudinem & receptam Provinciarum praxin, pro utroque foro tenet, & iñunis est à labe uturæ. 4. Testamentum ad causas profanas in solemnitate juris civilis deficiens, validum est pro foro interno ante sententiam Judicis. 5. Emptor etiam malæ fidei potest rem furtivam emptam immediatè reddere furi, positō, quòd aliter pretium recuperare nequeat.

XXXVII. Lex Aquilia & Leges Noxales non obligant ante sententiam. 2. Ex culpa theologica etiam mortali non oritur obligatio compenlandi excessum damni invincibilter ignoratum: 3. Econtra errans præcisè in persona læsi tenetur ad restitutionem. 4. Ex culpa veniali propter defectum deliberationis & advertentiæ non oritur obligatio ante sententiam farciendi damnum grave illatum; 5. Ex culpis venialibus deliberatè commissis exurgit gravis obligatio compensandi totum damnum grave. 6. Similiter injuslē interens alteri grave damnum, ignorans quidem gravitatē formalem, plenè tamen cognoscens gravitatem ejus materialem, tenetur sub gravi ad compensationem totius damni.

XXXVIII. Nequit Judex in causis criminalibus, ubi agitur de poena mortis vel mutilationis, condemnare illum, quem certò scit innocentem, licet talis secundum allegata & probata convincatur esse nocens. 2. Acta Judicis putatitii valent, si probabili & communi errore populi credatur legitimus; ceteroquin autem defectus sit à jure supplebilis. 3. Reus legitimè interrogatus non tenetur delictum semiplenè duntat probatum fateri, si esset puniendus poenâ capitis, vel alia æquivalenti, & spes sit evadendi.

Ex Libro IV. Sententiarum.

XXXIX. Sacraenta novæ legis verè quidem causant gratiam sanctificantem, 2. Nec non quasdam actuales ex opere operato; 3. Hæc tamen causalitas non physica, sed

moralis est. 4. Sicut Sacraenta mortuorum per accidens causant gratiam secundam ,
5. Ita & vivorum per accidens sibi causare possunt gratiam primam 6. Minister etiam
non consecratus,in statu peccati mortalium Sacramentum conficiens,regulariter loquen-
dō , graviter peccat.

XL. Baptismus & reliqua Sacraenta,excepto Sacramentum Eucharistiae, infructu-
osè, validè tamen suscepta, sublato obice reviviscunt. 2. Si obex est merè negativus,
reviviscit, per se loquendō, Baptismus per attritionem, etiam cognitā ut tales : 3.
Ad reviviscientia autem aliorum Sacramentorum requiritur contritio perfecta, vel
attritio cum Sacramento poenitentiae ; 4. Per accidens tamen etiam attritio, quæstion-
atur contritio, sufficere videtur. 5. Ablutio per se occisiva non est materia sufficiens
ad valorem Baptismi.

XLI. Infantes infidelium validè baptizantur invitatis parentibus, 2. Et in proximo
mortis periculo etiam licet : 3. Idem dicendum extra periculum mortis circa infantes
infidelium mancipiorum, accedente Authoritate Domini. 4. Iñò Princeps Christianus
etiam infantibus infidelium sibi solùm civiliter subjectorum licet, per se loquendō ,
procurare potest Baptismum invitatis eorum parentibus.

XLII. Aqua, quæ in celebratione Missæ affunditur vino, non convertitur in san-
guinem Christi, nisi prius physicè conversa fuerit in vinum. 2. De essentia Conse-
crationis panis sunt sola verba : *hoc est corpus meum*. 3. In consecratione Corpus &
Sanguis Christi non producuntur, sed adducuntur. 4. Sacrificium Missæ consistit
essentialiter & adæquatè in consecratione. 5. Valor & fructus hujus Sacrificii non est
infinity per respectum ad eos , pro quibus offertur.

XLIII. Ad Sacramentum poenitentiae requiruntur verba formalia. 2. Essentia for-
mæ absolutionis consistit in his solis verbis: *absolvo te*, vel æquivalentibus. 3. Sac-
ramentum poenitentiae nequit esse validum & informe ratione doloris. 4. Contritio
requisita debet esse dolor ac detestatio efficax, supernaturalis , atque universalis, ita
ut se extendat ad omnia peccata gravia à poenitente commissa, & nequid remissa.

XLIV. Præcepto confessionis anni non satisfit per confessionem sacrilegā. 2. Mori-
bundus potest & debet absolvī regulariter, et si non sciat, ullum signum poeniten-
tiae dedit, saltem si constet, eum ceteroquin Christianum vixisse. 3. Materia neces-
saria confessionis non sunt circumstantiae intra eandem speciem etiam valde notabili-
ter aggravantes ; 4. Sicut nec peccata positivæ dubia : 5. Idem dicendum de pecca-
tis negativæ dubiis , saltem si dubitetur de substantia actus.

XLV. Qui dubitat, an peccatum certò commissum iam sit confessus , tenetur illud
confiteri, si dubium sit negativum : 2. Secundum vero si dubium sit positivum. 3. Qui pec-
catum bona fide confessus est tanquam dubium, & postea compserit, esse certò commis-
sum, vel certò peccatum grave, non tenetur illud velut certum denud confiteri.

XLVI. Fictè promittens matrimonium, si exigat & admittat seriam reprobationem,
graviter peccat , nisi fictio facilè à reprobante adverteri potuerit ; 2 Non tamen
tenetur, per se loquendō, cum parte decepta inire matrimonium: 3. Quod si vero sub
hac ficta promissione deflorasset puellam , teneretur eam ante sententiam directe
eam ducere in uxorem,

XLVII. Qui sine promissione matrimonii per vim, fraudem vel metum injuste incussum, extorxit usum corporis, tenetur ante omnem sententiam damnum resarcire pueræ, si quod inde emersit: **2.** Nec est, ne quidem pro foro interno, perfectè in arbitrio talis stupratoris ducere, vel dotare puellam. **3.** Consensus gravi metu injuste extortus non constituit sponsalia valida.

XLVIII. Sponsa concedens usum corporis alteri, peccat specialiter peccatum contra justitiam, ita ut circumstantia sponsalium in confessione sacramentali exprimi debet: **2.** Idem dicendum in simili casu de sposo. **3.** Quamvis per actualē unius ex sponsis Professionem in Religionē approbata, ipso jure dissolvantur sponsalia; **4.** Per solum tamen ingressum in Noviciatum non solvuntur ex parte ingredientis: **5.** Nihilominus parti remanenti in saeculo accedit jus resiliendi.

IXL. Matrimonium nequit a baptizatis contrahi validē in ratione contractus, quin hoc ipso sit Sacramentum: **2.** Matrimonium tamen infidelium non fit eo ipso Sacramentum, si convertantur ad fidem & baptizentur. **3.** Validē & licite contrahitur matrimonium sub modo servandi perpetuam castitatem.

L. Matrimonium metu gravi injuste incusso contractum est invalidum, sive deinde metus sit incusus directe ad illud extorquendum, **2.** Sive ex alio fine, & metum passus eligit matrimonium ad evitandum malum injuste sibi paratum. **3.** Validē, & si accedat rationabilis causa, etiam licite contrahitur matrimonium cum dubio juris positivo de non existentia impedimenti Ecclesiastici dirimentis. **4.** Summus Pontifex per dispensationem dissolvere potest matrimonium ratum.

O. A. M. D. G.

Disputabuntur in Conventu & Studio Landishutano FF.

Minor. S. P. Francisci Reformatorum.

Die 17. Mensis Augusti 1752. horis ante- & post meridiem consuetis
Præside P. F. DIDYMO OCTENIER, dicti Ordinis
& Conventus SS. Theologiæ Lectore Ordinario.

Defendentibus PP. FF. Valeriano Holzleithner, Heraclio Oettl, & Stanislao
Duschl, ejusdem Ordinis & Studii.

Cum permisso Superiorum.

Landishuti Typis Josephi Davidis Schallinkammer.

XVII